Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 837
Quelle:
Copyright:

premonſtrati dictus abbas cum ceteris coabbatibus notum eſſe uolumus omnibus qui hoc tranſcriptum legerint. quod dominus papa Alexander ad firmamentum et incrementum ordinis noſtri miſit nobis priuilegium ſecundum tenorem tranſcripti huius. cuius bullam in premonſtratenſi eccleſia ſeruari ſcripto preſenti ſignificamus. et communis ſigilli appoſitione teſtamur.

III. *fol.* 181. p. 2. *Friderici* I. Rom. Imperatoris *Diploma*, quo *Gebehardo* abbati *Windibergenſi* ejusque Coenobio O. Praemonſtr. in *Bojaria Bohemiam* verſus ſito, atque a Comite *Albreth de pogen* cum filiis ſuis *Hertuwic et Perhtolt*, ut in *Dipl.* dicitur, fundato, *ſpecialiter*, ut ait, *pro amoris priuilegio quem ad dictum abbatem Gebehardum uirum religioſum habemus*, Bannum confirmat. *Gebehardum* hunc Virum egregium fuiſſe cum hoc, tum *Verſus* demonſtrant, quos ex binis *Codd. Windbergenſibus* excerptos repraeſentavit *Bern. Pezius* T. VI. *Theſ. Anecd. col.* 441. in quibus praeter alias laudes de eo dicitur:

Hic locus a fundo ſub eo paſtore Secundo
Per celerem ſaltum muris excrevit in altum.

Itaque non praefuit *Tertius*, ut in *Hundii Metrop. Salisb.* T. III. p. 341. legitur, ubi etiam errore, ut opinor, typi *Gerhardus* audit, qui error deinceps in *magnum Lexicon univerſ.* tranſiit. Initium porro Diplomatis eſt: *In nomine ſancte et indiuidue trinitatis Ego Fridricus dei gratia* &c. *Cum iuſticiam cuilibet ſeruare noſtre conueniat ſerenitati. noſtram tamen imperialem maieſtatem hoc eſt quod maxime exornat* &c. Nomina *teſtium* ad calcem: *Wicmannus archiep. madeburgenſis. Chuno ratiſponenſis epiſc. Typoldus patauienſis epiſc. Richerus brixinenſis epiſc. Ortuinus ſcriba curie. Henricus dux bawoarie et ſaxonie. Henricus dux auſtrie. Hermannus dux carinthie. Otto et frater eius Otto palatini. Pertoldus marchio de uobburch. Pertoldus marchio de iſtria. Rapoto de ortenberg comes. Fridricus et Henricus caſtellani. Henricus et frater eius fridricus de altendorf. Babo. Wernherus fratres de elembreschyrchin. Engelſalcus de wolva. Miniſteriales comitis noſtri. Hertuicus de ſwarza. Henricus et Ruodolfus frater eius. Hugo. fridricus. Gerhochus. Ruodolfus. Marquardus. Gozpoldus de ſwarza. Marquardus de rincberg. Miniſteriales Ratisponenſes. Uodalricus uicedominus. Sighardus de eberspeunt. Altmannus de eglolffsheim. Hertuicus de ſunzing. Chunradus de ceidlarn. Et alii quam plures qui predicte curie interfuerunt. Exiit autem hoc edictum a nobis anno ab incarnatione domini noſtri ihesu chriſti. Mill. C.LXX. III. Indict. VII. II. k. Junii. Datum in ciuitate Ratisp. per manum Got-*